ADRIANI STEGERI D.

SVPREMAE CVRIAE REGIO ELECTORALIS AC DVCALIS
ET CONSISTORII ADSESSORIS ET CIVITATIS
LIPSIENSIS SENATORIS


DISSERTATIO

DE

VIIS MILITARIBVS ROMANORVM IN VETERI GERMANIA.



LIPSIAE,
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.
MDCCXXXVIII.



§. I.

VIAE PVBLICAE ROMANORVM, MAGNIFICENTISSIMA OPERA, IN GERMANIA MAGNA NON EXSTITERVNT.



I Romanorum aedificiis tantum artis et laboris impensum esse miramur, ut uel illorum reliquiae, temporis et hostium insultu superiores, uictricis gentis magnitudinem loquantur, et aeternitati tradant: in stuporem plane rapiant, necesse est, uiarum munitiones, quas, una cum aquae ductibus et cloacarum fabricis, tria magnificentissima Romae opera existimat DIONYSIVS HALICARNASSEVS 1); ego certe omnium, quidquid humana umquam industria efformauerit, opus maxime laboriosum haberi

1) *Antiq. Rom. Lib. III. pag. 200. edit. Lips. cIɔ Iɔc XCI.* Ἔγωγ᾽ οὖν ἐν τρισὶ τοῖς μεγαλοπρεπεστάτοις κατασκευάσμασι τῆς Ῥώμης, ἐξ ὧν μάλιστα τὸ τῆς ἡγεμονίας ἐμφαίνεται μέγιστον, τάς τε τῶν ὑδάτων ἀγωγὰς τίθεμαι, καὶ τὰς τῶν ὁδῶν στρώσεις, καὶ τὰς τῶν ὑπονόμων ἐργασίας.

beri uelim et ſplendidiſſimum. Quotusquisque uidelicet eſt aetate noſtra Romae confinia peruagatus,

qua limite noto
Appia longarum teritur regina uiarum 2),

qui non uiam iſtam, aliarum enim ueſtigia, hodienum conſpicua, lubens iam praetermitto, eadem admiratione, qua olim PROCOPIVS 3) inductus, iſtam, poſt nongentos a prima munitione annos 4), integram, neque tot ſaeculorum uſu quidquam adtritam, extra hiſtoriae ſuae argumentum, oculatus arbiter, deſcripſit, iam duodecim fere a PROCOPIO inde ſaeculis elapſis, parum in deterius mutatam, parumue corruptam, duobus itaque annorum millibus, et ultra, ſuperſtitem, et natiuo paene robore adhuc ſuperbam, ſuſpexerit, neque aliunde, quam a uictore orbis terrarum populo, tam ſumtuoſum et aeternum opus exſpectari poſſe, fuerit arbitratus. At tunc deficere prorſus uidentur notiones, quae et operum et populi conditoris dignitati conue-

2) PAPINIVS STATIVS *in Villa Sarrentina Pollii Felicis, Silu. Lib. II. Carm. II. v. 11. 12.*

3) *Hiſt. Bell. Goth. Lib. I. Cap. XIV. pag. 347. Tom. I. Oper. ex interpr,* CLAVDII MALTRETI, *Pariſ.* CIↃ IↃC LXXII. Viae iſti uberius hoc loco deſcriptae, eiusque hiſtoriae, ſequentem ſubnotat obſeruationem: Καὶ χρόνȣ τριβέντος συχνȣ̃ δὴ, ȣ̆τως ἁμάξαις τε πολλαῖς καὶ ζώοις ἅπασι διαβατοὶ γενόμεναι ἐς ἡμέραν ἑκάστην, ȣ̓δὲ τῆς ἁρμονίας παντάπασι διακέκρινται, ȣ̓δὲ τινι αὐτῶν διαφθαρῆναι, ἢ μείονι γενέσθαι ξυνέπεσεν, οὐ μὴν ȣ̓δὲ τῆς ἀμαρυγῆς τὶ ἀποβαλέσθαι.

4) Seruauimus annorum numerum, a PROCOPIO uenditatum, licet annis paene quinquaginta abundantem, ueluti iam obſeruauit IVSTVS LIPSIVS *de Magnit. Rom. Lib. III. Cap. X. pag. 793. Tom. III. Oper. edit. Veſal.* CIↃ IↃC LXXV.

ueniant, si quando subit, publicas eius modi uias, non per conterminos Romae agros solum patuisse, neque intra Italiae quidem substitisse fines, sed per longinquas subinde prouincias, una cùm Romanorum imperio, tamquam certissima uictoriarum monimenta propagari consueuisse, et per omnem fere terrarum orbem fuisse dispositas, uti auctor est ISIDORVS, Hispalensis Episcopus 5), et congestis ueterum scriptorum testimoniis, plenius probatum iuit folertissimus iste uiarum Romanarum indagator, NICOLAVS BERGIERIVS 6). Suffecisset tanta operum publicorum moles, uias istas regias intelligo, si vel nulla prorsus alia ipsi futura fuissent monimenta, ostentandae Romanorum magnitudini, eiusue memoriae ad remotissimam posteritatem transmittendae. Habere simul potuerant prouinciarum Romanarum incolae, quotiescunque in uias istas, suis saepe quidem impensis aut seruitiis certe paratas, intuerentur, unde in mentem reuocarent, quanti sint fuerintue uictores sui, et tranquilliori eius modi contemplationi uacantes, subiectionis infamiam non suprema excusarent solum

 necessi-

5) *Orig. Lib. XVI. pag. 374. ex recens.* BONAVENTVRAE VVLCANII, *Basil.* CIↃ IↃ LXXVII. *Primum Poeni dicuntur lapidibus uias strauisse: post ea eas Romani per OMNEM paene ORBEM disposuerunt, propter rectitudinem itinerum, et ne plebs esset otiosa.*

6) *Dans l'Histoire des grands chemins de l'Empire Romain. Liu. I. Chap. V. pag. 331. edit. Brux.* CIↃ IↃCC XXVIII. Inseruit hunc librum, ex Gallica in Latinam linguam ab HENRICO CHRISTIANO HENNINIO translatum, una cum BERGIERII correctionibus, operi suo per curas posteriores adnotatis, item IOANNIS BAPTISTAE DV BOS animaduersionibus, et interpretis, HENNINII, notis, Tom. X. Thesaur. Antiq. Rom. IOANNES GEORGIVS GRAEVIVS.

necesſitatis lege, ſed et aliquam dignitatis ſpeciem ipſi praetexerent. Solent humana ingenia durisſimis malis frequentiori uſu paullatim adſueſieri, et praeter uulgare illud patientiae, aliud ex communi utilitate argumentum debellatis prouinciis ſuppetiiſſe arbitror, quo iſta uictricis Romae tropaea, per fines ſuos diſpoſita, ſibi gratularentur. At enim uero, quidquid inde commodi profectum fuerit, miſerum ereptae libertatis ſolatium, et exiguam ſeruitutis mercedem, nemo non exiſtimabit. Equidem earum ciuitatum populi longe mihi uidentur feliciores, quorum agri ſtratarum iuga, Romanorum inſtituto producta, non tulerunt, cum eximiae inde ſimul fortitudinis, qua intentum ſeruitutis iugum a ceruicibus ſuis depulerunt, probabilis ad modum naſcatur ſuſpicio. Tenet illas inter regiones, quibus nullae uiarum munitiones, Romana opera confectae, fuerunt, ornamento dicam, an opprobrio, principem fere locum Germania, dicta ex Italiae ſitu Transrhenana, cui additum Barbarae vocabulum 7), Liberae, quod iure ſortita eſt, elogio pulcre compenſatur. Quantacunque enim Romae, iam terrarum dominae, in Germaniam, imperio ſuo denique adiiciendam, fuerint molimina, nihil ſane illis effectum eſt, niſi ut iſta ciuium ſuorum oculos mulceret aliquando, uel potius deluderet triumphatae ſaepius, quam uictae, gentis illius imagine 8). Parum officere Germanorum uirtuti ludicra illa tropaea, niſi pror-

7) Indit hoc Germaniae magnae nomen, ut alios taceamus complures, EVTROPIVS *Breuiar. Hiſt. Rom. Lib. VII. Cap. V. n. 7. Lib. IX. Cap. IV. n. 3.* S. AVRELIVS VICTOR *Epit. Cap. XXIX. de Decio.* AMMIANVS MARCELLINVS *Rer. Geſt. Lib. XVIII. pag. 126. edit. ex biblioth.* FRIDERICI LINDENBROGII *Hamb.* CIƆ IƆ C VIIII.

8) C. CORNELIVS TACITVS *de Mor. Germ. Cap. XXXVII.*

prorſus ignorata, ipſorum ſane a conſpectu quam longiſſime remota, et euertere poterat adfectati dominii offendiculum finium ingenuitas, nullis umquam peregrini uictoris monimentis, aut certe non diuturnis, corrupta, et natiua telluris patriae conditio, nullis uiarum Romanarum ſtratis ſulcata.

§. II.
DEFINITA VIA PVBLICA SEV MILITARI, ET DESCRIPTIS GERMANIAE FINIBVS, EXPONITVR VNIVERSA INSTITVTI RATIO.

Quae commentationi noſtrae adhuc praefati ſumus, longe aliena plerisque uidebuntur ab ipſa, quam fronti eius praefiximus, inſcriptione. Imo quos ego futuros fuiſſe nullus dubito, qui, cum in iſtam intuiti ſunt, nobis occinendum eſſe cenſuerint:

Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu 1)?
iidem fortaſſis aliqua cum indignatione, amphoram primum currente rota inſtitui coepiſſe, neque iam urceum quidem exire, criminabuntur. Male profecto illos habebit, iactitari de uiis Romanorum in ueteri Germania militaribus opuſculum, quarum nulla umquam per eas terras patuerit, quod mea ipſius ſponte faterer, oportuit ſatis tempeſtiue. Neque deerunt alii, qui praepoſtere nimis id conceſſum eſſe arguant, eo, quod forte meminerint, Druſum una cum exercitu, traiecta Viſurgi, ad Albim usque proceſſiſſe, conſtituto ibidem in tantae expeditionis memoriam tropaeo, uti DIO CASSIVS 2) perhibet, et diſpoſitis, quae L. ANNAEVS

1) HORATIVS *de Art. Poet. v. 138.*
2) *Hiſt. Rom. Lib. LV. pag. 548. B, ex edit.* IOANNIS LEVNCLAVII, *Hanouiae*, CIO IOC VI.

NAEVS FLORVS 3) memorat, per Albim et Visurgim aeque ac per Rhenum et Mosem fluuios praesidiis et castellis; imo Germanicum post ea ulterius in Germaniam penetrasse, inque campo, Idistauiso, ad Visurgim Arminio cladem intulisse, uti TACITVS 4) memoriae prodidit. Deductis itaque in mediam Germaniam Romanorum legionibus, non posse arbitrabuntur, quin adferantur Romanis uiae in Germania ueteri militares. Ego uero utrumque istud iudicum genus uehementer moneo rogoque, ne tabellam illico poscant, nec indictam caussam suffragiis decernant nimium festinatis. Quae cum subterfugere conducat, operae praesertim pretium erit, ut notiones, quas signandae dissertationi nostrae adhibuimus, recte definiamus, quibus curatius obseruatis, id simul efficietur, ut luculentior eorum constet ratio, de quibus exponere instituimus. Viarum diuisionem apud Romanos summam fuisse in publicas, priuatas, et uicinales, ipsa docet illorum iuris prudentia 5). Variorum nominum, uiis publicis additorum, quorum uiginti, e IVLII TABOETII ephemeridibus historicis adlatas, enumerat BERGIERIVS 6), celebre cum primis et usitatum fuit militarium cognomen, siue quod militum potissimum labore uiae istae sterni consueuerint 7), siue a fine, cui potissimum uiarum munitiones destinabantur, deducendis

3) *Histor. Rom. Lib. IV. Cap. XII. pag. 232. ex recens.* NICOLAI BLANCARDI, *Franeq.* CIƆ IƆC XC.

4) *Annal. Lib. II. Cap. XVI. sqq.*

5) *L. 2. §. 22. D. Ne quid in loco publico uel itinere fiat.*

6) cit. loc. *Lib. III. Cap. LI. §. 2.*

7) Ita *stratum militari labore iter*, a compendiario distinctum, memorat M. FABIVS QVINCTILIANVS *Instit. Orat. Lib. II. Cap. XIII. pag. 146. Tom. I. Oper. edit. Lugd. Bat.* CIƆ IƆC LXV.

cendis uidelicet per istas legionibus, efformatum. Nos illo sane uocabulo quin uteremur, nihil obstare censuimus, cui plurimum patrocinatur DOMITII VLPIANI, Iuris consulti 8), auctoritas, qui uiarum militarium et publicarum dictionem promiscue usurpauit. Imo de publicis Romanorum in ueteri Germania uiis acturi, militarium cognomen prae reliquis optauimus, quippe omnium maxime condendarum earum occasioni usuique adcommodatum. Viam publicam, qua cum eandem esse militarem, iam notauimus, describit VLPIANVS 9), quod sit *solum publicum, relictum ad directum certis finibus latitudinis ab eo, qui ius publicandi habuit, ut ea publice iretur, commearetur.* Ex uariis, quae his addenda essent, id saltem subnotamus, uias publicas non destinatione solum certi spatii ad eundum, ambulandum, eoque libero relicto, sed munitione simul istius, a Romanis esse constitutas. Ostendit praeter ea Vlpianea definitio, ex ipsa Romanorum mente non condi potuisse uiam publicam, nisi a suprema potestate ciuili. Quibus omnibus sibi in uicem comparatis, facile unusquisque animaduertet, uias publicas Romanorum in Germania Magna, uel Transrhenana, exstitisse omnino nullas 10), eamque consequutionem mirifice patrocinari earundem negationi, quae simul a scriptorum silentio, et ab eo, quod nulla earum supersint uestigia, secure satis deducitur. Posita igitur

8) *L. 3. §. 1. D. De loc. et itin. publ.*

9) *L. 2. §. 21. D. Ne quid in loc. publ. vel itin. fiat.*

10) Non elidet hanc adsertionem aggeratus trames, si PHILIPPI CLVVERII arbitrio standum est, per Westphaliae tractum editus, Domitio plerumque auctori uindicatus, de quo copiosius differendum erit §. VI.

tur Germania ueteri, per cuius agros ductae olim militares Romanorum uiae describantur, non eam saltem terrarum partem designatam uelim, quam ueteres proprio Germaniae nomine comprehenderunt, Rheno, Danubio, Vistulaque fluuiis, et Codano sinu, limitibus suis, circumscriptum: sed potius Germaniae fines occidentem uersus ultra Rhenum, adiecta scilicet potiori Galliae Belgicae parte, quam ipsi Romani haud infrequenter Germaniam Cisrhenanam dixere, portendere uisum est, eique meridiem uersus Rhaetiam, Vindeliciam, atque Noricum adiungere. Ampliatis hunc in modum Germaniae finibus, nihil extimescimus, ne quis terminorum motorum contra experiri uelit, quamquam non ignoramus, regionum illarum populos, a Germanica ciuitate auulsos, libertate, Germano bono, excidisse, et Romana passos esse imperia. Praesidium enim sententiae nostrae in eo ponimus, quod gentes istae, uti est ueri simillimum, communes cum reliquis Germaniae populis adnoscant origines, deinde, quod Romanos dominatus, non nisi florentissimis demum eorum rebus experti, Germanos tamen mores et instituta seruauerint, denique, quod uergente ad lapsum Romanorum imperio, et Germanorum ciuitate ordinatius condita, postliminii quasi iure in eandem redierint, nostraque adhuc aetate maximam partem Germaniae finibus contineantur, eximia Imperii Romano Germanici portio. In his sane regionibus, Magnae olim Germaniae proxime adfinibus, habitaculis Germanarum gentium, ueteris Imperii Romani prouinciis, passim deprehenduntur uiae publicae, Romanis auspiciis et moribus dispositae atque munitae. Quas cum eruditissimi uiri, saeculi et gentis suae ornamenta, qui locupletiori adparatu instructi, antiquissimam communis patriae historiam aetate nostra publicae lu-

ci

ci restituerunt, circumspecto studio et disquisitione sua non iudicauerint indignas, nec utilitatis, quam uetus inde foeneretur geographia, omnino uacuas: neque nos desperauimus, aliquod certae operae nostrae futurum esse pretium, si uias istas, peculiari libello breuiter descriptas, una ueluti tabula simus exhibituri. Quam ubi iam suspensum imus, monendum esse duximus, ita nos in uiis istis inuestigandis, describendisque illarum compendiis, esse uersaturos, ut secundum temporis ordinem, quo Romani Germanique, de imperio illi, hi de libertate, in his terris decertauerunt, ubiuis adnotemus, si quas in istis prouinciis uias esse munitas, adpareat. Ita uero, quam nobis ultro diximus, ordinis huius legem obseruabimus, vt singularum uiarum munitiones ad auctores suos, si de illis constiterit, referamus; si qua occurrerit, cuius conditor ignoratur, circa illius Imperatoris aeuum exponamus, quo primum a scriptoribus memorari reperitur. Nec conquirere animus est leuiorum coniecturarum farraginem, unde uiarum eius modi uestigia per taediosa demum ambagum diuerticula e longinquo conspici queant, sed, quod in exercitatione, tumultuario paene studio conscribenda, qualis est haec nostra, fieri potest, eas tantum persequemur uias, quae certae satis, eoque nomine memoratu uidentur digniores; notaturi simul obiter, quod aiunt, alia Romanorum opera, quae ad uiarum militarium munitiones perperam aliquando referuntur. Repetenda igitur erunt commentationis nostrae argumenta inde a Iulii Caesaris aetate, quo Imperatore primum Romanas aquilas in Germaniam prolatas esse nouimus. Subsistere demum liceret in Theodosii Magni imperio, ad cuius aeram usque uehementissime inter Romanos Germanosque subinde in ipsis Germaniae, eique vicinis regionibus bellatum est, nec

inde Romanis uiarum iſtic muniendarum defuit occaſio, donec, Imperatore iſto fatis functo, ea rerum commutatio repente ad modum exorta eſt, qua tantum abfuit, ut Romani de Germania laceſſenda, ne quid de uiis, per illius fines ordinandis, adiiciam, cum effectu potuerint cogitare, ut ne intra adſtrictiores Italiae quidem limites a Germanorum armis auſpicato ſeſe defendere, ipſis contigerit. At in opuſculi limine adhuc haerentes, quando argumenti ubertatem ad uaria, quibus diſtinemur, impedimenta componimus, plane futurum deſperamus, vt ad Theodoſianum aeuum noſtra pertingere queat commentatio. Quapropter ſatius arbitrati ſumus, ſaeculi a Seruatore nato primi ambitu, tamquam finibus ſuis iſtam circumſcribere, et luſtrare hac excurſione uias, a duodecim Romae Imperatoribus, omnium primis, eorumue auſpiciis, per Germaniam ſtratas; reliquas, proximis inde ſaeculis munitas, ampliſſimam differendi materiam, limatae magis diſquiſitioni noſtrae reſeruaturi aliud in tempus, aut relicturi alienae.

§. III.
PONS A C. IVLIO CAESARE ITERVM RHENO IVNCTVS.

C. Iulius Caeſar uti rerum geſtarum magnitudine, ſucceſſu, atque fructu, omnes populi Romani duces, qui ſuperiorem aetatem uirtute ſua colluſtrauere, longiſſime ſuperauit: ita maximis eius facinoribus accenſendum eſt, quod aliquot Germaniae populos, quorum alii uix decem ante luſtris in ipſam Italiam arma ſua pertulerunt, et ipſi Romae ultimo fuerunt terrori, non niſi poſt ambiguos tandem caſus eiecti, iam omnium Romanorum primus, in ipſis eorum ſedibus debellauerit. Qui ſane Imperator, licet praeteriri

teriri potuiſſe in hac commentatione uideatur, ſi uias ab eo in Germania conditas quaeſiueris, quarum nos quidem nullam nouimus: ideo tamen nobis eſt commemorandus, quod pontem Rheno impoſitum, omnium haud dubie primum, ad eum referri iubeant hiſtoriarum monimenta. At iunxere ipſi Romani uiarum et pontium curam, cuius rei teſtimonia ſaepe numero in marmorum occurrunt titulis 1): ne-

1) Exemplo eſſe poterunt marmora iſta uialia, per Vindeliciam et Noricum, in honorem L. Septimii Seueri Caeſaris et utriusque filii, ob uias per iſtos tractus aut recens munitas, aut inſtauratas, paſſim diſpoſita, quorum aliquot ad poſteritatis notitiam peruenerunt, imo, quantum ſuſpicari licet, hodienum ſuperſunt, exhibita in MARCI VELSERI *Antiq. Agr. Auguſt. Monum. pag. 409. Oper. edit. Norimb.* CIↃ IↃC LXXXII. et IANI GRVTERI *Corp. Inſcript.* CLVI. 6. CLVII. 2. 3. 4. 5. Viſum eſt ex his marmoribus integram inſcriptionem unius, quod primo prae reliquis loco poſuit VELSERVS, in obſeruationis noſtrae exemplum et praeſidium adlegare. En igitur iſtam ſequentem in modum, VELSERI fide, deſcriptam:

IMP. CAESAR. LVCIVS. SEPTIM
IVS. SEVERVS. PIVS. PERTIN
AX. AVG. ARABICVS. ADIAB
PARTHICVS. MAXIMVS
PONTIF. MAX. TRIB. POT
VIIII. IMP. XII. COS. II. P. P
PROCOS. ET. IMP. CAESAR
MARCVS. AVREL. ANTON
INVS. PIVS. AVG. TRIB.
POT. IIII. PROCOS. ET. IMP
P. SEPTIMI. GETA. ANTON
VIAS. ET. PONTES. REST
AB. AVG. M. P. XXXXI.

que nostrum erit, lustrando uias, pontes praeterire. Mouerunt Caesarem frequentiores Germanorum in Galliam incursiones, et postulata contra Sueuos ab Vbiis auxilia, et post Vsipetes Tenchterosque fugatos, equitatus illorum pars, quae praelio non interfuit, Mosam ante frumentandi praedandique caussa transgressa, deinde post suorum fugam trans Rhenum ad Sigambros aufugiens, ut de Rheno transeundo cogitaret, et suam ipsius reputans secum, et tanti populi, cuius auspiciis bellum gereretur, dignitatem, legiones non aliter, quam per pontem transducendas esse, decerneret. Pontem igitur decem dierum spatio construxit, et transducto exercitu, ea omnia exsequutus, quorum caussa tantam expeditionem molitus est, metu Germanis iniecto, Vbiis liberatis, Sigambros ultus, post dies decem et octo trans Rhenum omnino consumtos, in Galliam rediit, et pontem rescidit, quae omnia, et ipsius pontis conditi rationem, plenius ipse C. IVLIVS CAESAR 2) exposuit, tetigerunt etiam PLVTARCHVS 3), et DIO CASSIVS 4). Itaque effectum est, quae princeps suscipiendi tam ardui consilii erat caussa, ut intelligerent Germani, et posse et audere populi Romani exercitum Rhenum transire, idemque illos eodem iterum conatu successuque Caesar docuit. Paullo enim post ea, quum Induciomarus et Ambiorix, Treuirorum ille, hic Ebu-

2) *Comment. de Bell. Gall. Lib. IV. Cap. XVI. seqq.* Pontem ipsum, tabula aenea delineatum, editio C. IVLII CAESARIS, ex museo IOANNIS GEORGII GRAEVII, Lugd. Bat. CIↃ IↃCC XIII. adornata, lectorum oculis subiicit.

3) *in Vit. C. Caesaris, pag. 718. F. 719. A. Tom. I. Oper. edit. Francof.* CIↃ IↃC XX.

4) *Lib. XXXIX. pag. 113. C. D.*

Eburonum princeps, Neruiorum, Menapiorum, Attuaticorum, imo et Transrhenanarum gentium, Sueuorum praesertim, auxiliis subfulti, Romanis arma et clades inferrent, Caesar disiectis Neruiis, Treuiris iterum profligatis, occisoque illorum duce, Induciomaro, debellatis Menapiis 5), et eo, ut pacem peterent, adactis, Rhenum iterum transire, duabus potissimum de caussis constituit, partim ut auxilia contra se Treuiris missa ulcisceretur, partim ne Ambiorix receptum ad eas regiones haberet. Pontem igitur paullum supra eum locum, quo antea exercitum transduxit, faciundum curauit, et opus istud nota atque instituta ratione, magno militum studio, paucis diebus effectum esse, memoriae ipse CAESAR 6) prodidit. Firmo in Treuiris ad pontem praesidio relicto, eduxit trans Rhenum legiones contra Sueuos, quorum fuga in siluarum latebras cognita, reducendas istas statuit. Ne tamen reditus sui metum Germanis tolleret, partem quidem pontis ultimam, quae Vbiorum ripas contingebat, in longitudinem CC pedum rescidit, at in extremo ponte turrim tabulatorum IV constituit, eique loco, magnis munitionibus firmato, et praesidio praefectum dedit

5) Refert ipse CAESAR *cit. comment. Lib. VI. Cap. VI. partitis copiis sese cum C. Fabio, Legato, et M. Crasso, Quaestore, celeriterque effectis pontibus, Menapios adiisse tripartito.* Fuerunt pontes illi, quos Caesar penitius non tangit, Scaldi haud dubie iuncti, quem fluuium inter et Mosam sedes suas potissimum habuisse Menapios, ibique haec gesta esse, ostendit CHRISTOPHORVS CELLARIVS *Notit. Orb. Antiq. Lib. II. Cap. III. Sect. XIII. §. CLXII. pag. 288. Tom. I. ex recens.* IOANNIS CONRADI SCHWARZII, *Lips.* CIƆ IƆCCXXXI.

6) *Lib. VI. Cap. IX.* Conf. DIO CASSIVS *Lib. XL pag. 135. D.*

dit C. Volcatium Tullum 7). Locum ipsum, quo utrumque pontem Caesar construendum curauit, situi suo proprie satis adsignare uix licet, cum nec ipse Caesar, praeter Vbiorum et Treuirorum fines, quos ille contigit, hac de re speciatim magis quidquam fuerit commentatus. Priori expeditione pontem, haud procul a confluente Rheni et Mosae, fluuio isti fuisse impositum, inde colligitur, quod eo usque Romanos fugitiuis Vsipetibus Tenchterisque institisse, captumque deinde statim a Caesare Rheni transeundi fuisse consilium, ipsius CAESARIS 8) commentarii fidem faciant, quamquam obuiam ibi lectionem dubiis suis uehementer solicitat PHILIPPVS CLVVERIVS 9), ponendum potius Rheni et Mosellae confluentem ratus, quam contra emendationem copiose disputauit IOANNES ISAACVS PONTANVS 10). Sunt haec paullo abstrusiora, nec certitudinis inde quidquam, nec aliunde, capi potest, quae difficultas magis ex eo redditur impedita, quod nulla hodie utriusque istius pontis rudera, nulla reliquiarum uestigia supersint, quae de uero situ tutius coniiciendi praebeant occasionem. Vti enim extemporali paene opera pontes isti fuerunt constructi, ita destinatione sua partim, partim fatorum necessitate non nisi temporarii, nec aeternitate atque frequentiori vsu suo, uti alia Romanorum opera solent, aeque fuerunt memorabiles, ac consilii nouitate, summaque ipsa gloria, quam e communi Romanorum consensione et adplau-

7) *Lib. VI. Cap. XXIX.*

8) *Lib. IV. Cap. XV.*

9) *German. Antiq. Lib. IV. cap. IX. edit. Lugd. Bat.* CIϽ IϽC XXXI.

10) *Disceptat. Chorograph. de Rheni diuortiis Part. I. Cap. V. p. 21.*

adplausu conatui tanto, adhuc inaudito, accessisse, luculento indicio est, exhibitum inter publicas et solemnes pompas, quantum ex FLORI 11) testimonio colligimus, uicti Rheni simulacrum, quum A. V. C. IϽCCVII, per quatuor dies continuos, de Gallia, Aegypto, Ponto et Africa, Caesar, DIONE 12) teste, triumphos ageret. Et postera sane Romanorum aetas, nouos et prosperrimos istos Caesaris conatus, inter pulcerrima facinorum militarium specimina reponendos, et ipso Caesare cum primis dignos esse, censuit; quem ad modum cogitasse secum mihi uidetur, qui, cum in fictitio isto Deorum conuiuio Caesari cum Alexandro de uirtutis et rerum gestarum principatu contendendum esset, Romano illi heroi uerba satis magnifica de iterato Rheni transitu, ad traiectum ab Alexandro Istrum comparato, adfingit, IVLIANVS Imperator 13).

§. IIII.

RES ROMANORVM CONTRA GERMANOS AVGVSTI CAESARIS AVSPICIIS GESTAE, ET GALLIA OMNIS AB EODEM ORDINATA.

Tantorum moliminum, quae C. Iulius Caesar debellandis aliquot Germaniae populis, Cisrhenanae praesertim

C tim

11) *Lib. IV. Cap. II. pag. 212.*
12) *Lib. XLII. pag. 223. B.*
13) *in Caesar. pag. 320. Oper. ex edit.* EZECHIELIS SPANHEMII, *Lips.* CIϽ IϽC XCVI. Vbi Caesar sequentem in modum loquutus sistitur: Οὗτος ἅπαξ ἐπεραιώθη τὸν Ἴστρον· ἐγὼ δὲ δεύτερον τὸν Ῥῆνον. Γερμανικὸν αὖ τοῦτο τὸ ἐμὸν ἔργον· τούτῳ δὲ ἀντέστη μὲν οὐδὲ εἷς.

tim et Galliae Belgicae colonis, impendit, fructum tulit ex sorore pronepos, adoptione in gentem Iuliam transcriptus, cui omnia Caesaris facinora, stabiliendo unius dominatui destinata, cesserunt, Octauius Caesar Augustus. Hoc iam rerum potito, ingrauescunt Romanorum et Germanorum bella, et luculentiora paullatim exseruntur indicia, unde non Germaniae Cisrhenanae solum, insigni Galliae Belgicae portioni, sed et aliis regionibus, quae Germanis incolis paruerunt, additam prouinciae formam, eoque simul occasionem, uiarum militarium muniendarum, Romanis paratam, cognoscimus. Noricum enim circa A. V. C. IↃCCXXXVIII P. Silius, si DIONIS CASSII 1) suffragium recte capimus, imperio Romano subdidit, quamuis tantae accessionis partae gloriam VELLEIVS PATERCVLVS 2) adsignet Tiberio suo; cui certiori quidem iure competit laudis, ob Vindeliciam Rhaetiamque prouinciis Romanorum adiectam, cum Druso fratre societas 3), VENVSINI VATIS 4) carminibus aeternitati consecrata. Melioribus auspiciis, quam Romanorum ante quisquam alius, contra Germanos porro bellauit Drusus, quo Imperatore ad Albim usque Romanas aquilas prolatas esse, superiori loco notauimus. Quanta cura, quantoue successu tam pulcris uictoriarum primordiis, post praematura Drusi fata, institerit Tiberius frater, loquuntur acceptus in deditio-

1) *Lib. LIV. pag. 534. D.* Οἱ Παννόνιοι τήν τε Ἰστρίαν μετὰ Νωρίκων κατέδραμον, καὶ αὐτοί τε πρός τε τοῦ Σιλίου καὶ τῶν ὑποστρατήγων αὐτοῦ κακωθέντες, αὖθις ὡμολόγησαν, καὶ τοῖς Νωρίκοις αἴτιοι τῆς αὐτῆς δουλείας ἐγένοντο.

2) *Hist. Rom. Lib. II. Cap. XXXIX.*

3) DIO CASSIVS *Lib. LIV. pag. 536.*

4) *Carm. Lib. IV. Od. IV. v. 17. seqq. Od. XIV. v. 10. seqq.*

ditionem, et in Galliam translatus Sigambrorum populus 5), subacti deinde Caninefates, Attuarii, Bructeri, recepti Cherusci, Visurgis amnis transitus, hiberna ad caput Luppiae fluminis locata 6), perlustrata porro armis tota Germania, receptae Chaucorum nationes, fracti Langobardi, Romana classis Albi subuecta, et eo usque perductus cum signis exercitus 7), Sueui denique et Maroboduus Rex pace obstricti 8), et datus Germaniae praefectus, C. Sentius Saturninus, periculorum aeque ac triumphalium post ea honorum Tiberii socius 9), eiusque in locum subrogatus, Quinctilius Varus 10), cui ab Arminio, Cheruscorum principe, illata clades omnium in Germanos Transrhenanos molimin̄um fructu, quantumcunque spe praeceperint, Romanos defraudauit, et Germaniae Magnae libertatem restituit. Et hac tam graui, nec opinata rerum commutatione factum est, ut Augustus, iam florentissimo imperio paene defunctus, ne in ulla quidem Germaniae parte potuerit efficere, aut quodam effectum modo conseruare, quod sub prima olim dominatus initia in uniuersam Galliam ipsi licuit, quam et prouinciam Romanam constituit, et ut constitutam retineret, solicite ad modum prospexit. Facta enim cum Senatu prouincia-

 rum

5) C. SVETONIVS TRANQVILLVS *in Octau. Caesar. August. Cap. XXI.* Conf. TACITVS *Annal. Lib. II. Cap. XXVI.* HORATIVS *Carm. Lib. IV. Od. XI. v. ult.*

6) VELLEIVS PATERCVLVS *Lib. II. Cap. CV.*

7) IDEM *ibid. Cap. CVI.* Conf. DIO CASSIVS *Lib. LIV. p. 567. E.*

8) TACITVS *Annal. Lib. II. Cap. XXVI.* Conf. *Cap. XLVII.*

9) DIO CASSIVS *Lib. LIV. p. 567. E.*

10) IDEM *Lib. LVI. pag. 582. D.* VELLEIVS PATERCVLVS *Lib. II. Cap. CXVII. seqq.*

rum diuiſione, Auguſtum Galliam ſibi omnem ſumſiſſe, DIO CASSIVS 11) auctor eſt, qua ſimul utramque Germaniam Cisrhenanam, ſuperiorem et inferiorem, ſiue quo nomine poſthac reperitur frequentata, primam et ſecundam, contineri adnotauit. Eundem Imperatorem paullo poſt Narbone conuentum, et a tribus Galliis cenſum egiſſe, LIVII EPITOMATOR 12) refert, cui conſentit plenius DIONIS 13) teſtimonium, Auguſtum componendis Gallicis rebus, agendoque Gallorum cenſus, et uita et re publica formanda, aliquantum temporis extraxiſſe. Ea igitur tempeſtate Galliae diuiſionem in Aquitanicam, Celticam et Belgicam, huius praeſertim in Galliam Belgicam, ſpeciatim ſic dictam, et Germaniam Cisrhenanam, Germaniae Cisrhenanae in primam et ſecundam 14), aut effictam nouiter, aut rectius fuiſſe ordinatam, ad ueri ſimilitudinem proxime accedit.

§. V.

11) *Lib. LIII. pag. 503. D. ſeqq.* Ἐνομίσθη ἡ Ἀφρικὴ καὶ ἡ Νουμιδία, ἥτε Ἀσία καὶ ἡ Ἑλλὰς μετὰ τῆς Ἠπείρου, - - - τοῦ τε δήμου καὶ τῆς γερουσίας εἶναι· τοῦ δὲ δὴ Καίσαρος, ἥ τε λοιπὴ Ἰβηρία, ἥ τε περὶ Ταῤῥάκωνα, καὶ ἡ Λυσιτανία, καὶ Γαλάται πάντες, οἵ τε Ναρβωνήσιοι καὶ οἱ Λουγδουνήσιοι, Ἀκυϊτανοί τε καὶ Κελτικοὶ, αὐτοί τε καὶ οἱ ἄποικοι σφῶν. Κελτῶν γάρ τινὲς, οὓς δὴ Γερμανοὺς καλοῦμεν, πᾶσαν τὴν πρὸς τῷ Ῥήνῳ Κελτικὴν κατασχόντες, Γερμανίαν ὀνομάζεσθαι ἐποίησαν, τὴν μὲν ἄνω, τὴν μετὰ τὰς τοῦ ποταμοῦ πηγάς· τὴν δὲ κάτω, τὴν μέχρι τοῦ Ὠκεανοῦ τοῦ Βρεττανικοῦ οὖσαν.

12) *Lib. CXXXIV.*

13) *Lib. LIII. pag. 512. B.*

14) Conf. STRABO *Rer. Geograph. Lib. IV. pag. 268. A. Tom. I. edit. Amſtelod.* CIↃ IↃCC VII.

§. V.

VIAE MILITARES, AVGVSTO CAESARE, PER GERMANIAM CISRHENANAM DISPOSITAE.

Rebus itaque per uniuerſam Galliam tanta cum cura ordinatis, nullum eſt dubium, quin de uiis, per eam diſponendis, cogitauerit Auguſtus; eumque cum effectu hac de re cogitaſſe, praeſto ſunt idonea ſatis teſtimonia. Illius enim auſpiciis M. Vipſanius Agrippa per ampliſſimum Gallorum tractum quatuor uias aperuit, unam per Cemmenos montes, in Aquitaniam et ad Santones usque, alteram ad Rhenum, tertiam ad Oceanum per Bellouacos et Ambianos, quartam in Narbonenſem Galliam et ad littus Maſſilienſe, uti STRABO 1) diſertis uerbis expoſuit. Plenius de iſtis uiis, earumque munitarum rationibus et aera conſtaret, niſi AGRIPPAE commentarios de Gallia, quorum PLINIVS 2) meminit, ſuperioris temporis iniuria aetati noſtrae

1) *Rer. Geograph. Lib. IV. pag. 318. Tom. I.* Τὸ Λούγδουνον ἐν μέσῳ τῆς χώρας ἐςὶν, ὥσπερ ἀκρόπολις, διά τε τὰς συμβολὰς τῶν ποταμῶν, καὶ διὰ τὸ ἐγγὺς εἶναι πᾶσι τοῖς μέρεσι. Διόπερ καὶ Ἀγρίππας ἐντεῦθεν τὰς ὁδοὺς ἔτεμε· τὴν διὰ τῶν Κεμμένων ὀρῶν μέχρι Σαντόνων καὶ τῆς Ἀκουιτανίας· καὶ τὴν ἐπὶ τὸν Ῥῆνον· καὶ τρίτην τὴν ἐπὶ τὸν Ὠκεανὸν, τὴν πρὸς Βελλοακοῖς καὶ Ἀμβιανοῖς· τετάρτη δὲ ἐςὶν ἐπὶ τὴν Ναρβωνῖτιν, καὶ τὴν Μασσαλιῶτιν παραλίαν.

2) *Hiſt. Nat. Libr. IV. Cap. XVII.* STRABONEM quoque *Rer. Geograph. Lib. IV.* eosdem AGRIPPAE commentarios memoraſſe, quod ὡς ἐν παρόδῳ notamus, perhibet AEGIDIVS BVCHERIVS *Belg. Rom. Eccleſ. et Ciuil. Lib. I. Cap. IX. pag. 22.* At mihi non liquet, et integro iſto STRABONIS libro perluſtrato, licet, ne quid diſſimulem, remiſſiori aliquantum cum cura, nihil eorum explorare potui. Poterunt fortaſſis

noſtrae inuidiſſet. Quibus dum caremus, conquirenda erunt aliunde praeſidia, ex quibus ea cum primis, quae ad alteram uiarum iſtarum pertinent, quo ſcilicet ordine STRABO iſtas perſequitur, tamquam inſtituto noſtro propiora, depromantur. Porrecta ſane fuerit uia iſta Lugduno ad Rhenum quam longiſſime oportet, maxime, ſi ad eam, quod ſagaciores arbitrio ſuo definiant, tamquam portio aliqua pertinuerit uia, quam a Lugduno Batauorum Argentoratum, et quae itineris huius intermediae ſunt manſiones, a Treuiris Agrippinam, ab iisdem Argentoratum, item a Colonia Traiana Coloniam Agrippinam, in ANTONINI AVGVSTI ITINERARIO 3) deſignatam legimus, et, quae aliquot ſaltem ſtationibus interiectis, ab iſto diſcedit, PEVTINGERIANA TABVLA 4). Alia et luculentiora uiae iſtius ueſtigia, a quopiam lecta aut indicata, non memini. Quae coniiciendo enim proponit BERGIERIVS 5), commoditate huius uiae, recens tunc temporis ſtratae, factum eſſe, ut Tiberius, ad aegrotantem in Germania Druſum fratrem abiturus, una nocte ac die CC millia paſſuum tribus uehiculis, uti PLINIVS 6) refert, emenſus fuerit, incerta ſunt, nec inde quidquam lucis foeneratur uia iſta, quantacunque cum cura

alii, quibus ea preſſius inueſtigandi otium eſt et uoluptas; inter ea STRABONEM, ſola BVCHERII fide, in partes uocare uix auſim.

3) *pag. 83. 84. edit. Colon. Agripp.* CIↃ IↃC.

4) *pag. 727. 730. ſeqq.* in MARCI VELSERI *operibus*, a CHRISTOPHORO ARNOLDO, *Norimb.* CIↃ IↃC LXXXII *una editis.*

5) *Lib. I. Cap. XXIX. §. VI. pag. 111.*

6) *Hiſt. Nat. Lib. VII. Cap. XX.*

n DIONIS 7) testimonium de itinere Tiberii huc conferatur, quod apprime consulendum commendat IOANNES HARDVINVS 8). Neque istud iam definire possumus, an ea Lugduno ad Rhenum uia ad aeternitatem ferendam ab Agrippa, perinde fuerit composita ac alia, per Bellouacos et Ambianos ad Oceanum, eodem auctore, ducta, quam et ITINERARIVM seruat ANTONINI 9), et PEVTINGERI TABVLA 10), et sua aetate, tangit haec autem priores saeculi XVII annos, ultra dimidium eius cursum prouecta, uisam esse, imo se ipsum ex parte obiisse, adfirmat AEGIDIVS BVCHERIVS 11). Strauit Agrippa uias istas, quantum coniiciendo adsequi licet, circa A. V. C. ıↄccxvii, et qui proxime subsequuti sunt, quo tempore ipsum sacra Augusti Caesaris uice, cum aemulis adhuc de rerum summa decertantis, Galliis praefuisse, bellum cum Gallis ab eo gestum, et traiectum Rheni flumen, DIONI CASSIO 12) memoratum, et Aquitanica illius uictoria, ab AP-

PIA-

7) *Lib. LV. pag. 549. A.*

8) *in not. ad* PLINII *Hist. Nat. cit. loc. n. 16. pag. 386. Tom. I. edit. Paris.* cIↄ Iↄcc xxiii.

9) *pag. 81.* ubi exhibetur Lugduno Gessoriacum usque iter, Morinorum, quos *extremos hominum* VIRGILIVS *Aen. Lib. VIII. v. 727.* uocat, in freto Britannico portum, qui an cum oppido fuerit coniunctus, idemne cum Icio portu, diuisae sunt inter rerum harum scrutatores sententiae, copiosius recensitae a C. CELLARIO *Notit. Orb. Antiq. Lib. II. Cap. III. Sect. XV. §. CLXXXVIII. seqq. pag. 30. Tom. I.*

10) *pag. 727. et 730.*

11) *Belg. Rom. Eccles. et Ciu. Lib. I. Cap. IX. §. 7. pag. 22. 23.*

12) *Lib. XLVIII. pag. 389. D.*

PIANO 13) indicata, ſuſpicari iubent. Notandae ſunt uerae uiarum iſtarum origines tanto curatius, quanto futiliores ſunt NICOLAI REVCLERI nugae de Bauone, antiquiſſimo Troiani ſanguinis heroe, nouo poſt excidium Troianum Galliarum incola, uiarumque iſtarum conditore, aut CLAREMBALDI, HVGONIS TVLLENSIS et LVCII TVNGRENSIS de Brunehaldo, Bauonis trinepote, uiarum earundem auctore, fabulae, perdita IACOBI DE GVISE opera conciliatae; quanto denique longius a ueri ſpecie diſtat plerorumque opinio, qui eiusdem inſtituti gloriam, ſexcentis itaque circiter annis ſerius partam, ad Brunehildin, Auſtraſiae Reginam, referunt, SIGEBERTI GEMBLACENSIS procul dubio, et ANNALIVM BERTINIANORVM teſtimonio, de Reginae illius aedificiis, decepti; quorum uniuscuiusque commenta uberius recenſuit et exploſit BERGIERIVS 14). Cum in Galliarum uiis adhuc morati ſumus, quae Caeſaris Auguſti auſpiciis ſtratae ſunt, breuiter diuertendum erit in Belgicas iſtas, quas, ordinatis, uti ſuperius dictum eſt, Galliarum rebus, ab eodem Imperatore munitas fuiſſe, BVCHERIVS 15) ſuſpicatur. Recenſet iſte

13) *de Bell. Ciu. Lib. V. p. 1149. Tom. II. Oper. ex edit.* ALEXANDRI TOLLII, *Amſtelod.* CIↃIↃCLXX.

14) *Lib. I. Cap. XXVI - XXIX. pag. 98. ſq.*

15) *cit. loc. Lib. I. Cap. XII. §. 19. pag. 31. Vias quoque militares hac ordinatione ſequentibusue, ab eodem Auguſto, ſicut et paullo ante a M. Agrippa, ac deinceps ab aliis, per Galliam duci coeptas, nullus dubito. Hoc enim anno, prius quam ex Italia in Gallias adueniret, vias extra urbem ipſe aliique reficiendas curauerant. Quanto magis in Galliis, ubi tanto pauciores? Eas etiamnum in Belgica noſtra ſuperſtites, et labore herculeo rectiſ-*

iſte, oculatus teſtis, octo eiusmodi uias, Bauaco, celebri cum primis Belgii urbe, huc iſtuc deductas, ſuo, quo iſte uixit, ſaeculo ſatis conſpicuas, qua de cauſſa non praeter rem uiſum eſt integra eius uerba his ſubiicere. Ego uero, licet rei huius generis diſquirendae, cum idoneorum teſtium ſuffragiis deſtituaris, plurimum cautionis adhibendum eſſe, non diffitear, probabili ad modum ſtudio ingenioque iſtam BVCHERII coniecturam, ſi generatim ad ea, in quibus uerſatur, reſpicias, efformatam eſſe ſentio. Diſpoſitae fuerunt ab Auguſto per Germaniam Cisrhenanam octo legiones, quatuor per inferiorem, prima ſcilicet, quinta, uiceſima, et una et uiceſima; quatuor per ſuperiorem, nominatim ſecunda, tertia decima, quarta decima, et ſexta decima, quarum ſtatiua luculentius ex TACITI 16) deſcriptione colliguntur. totidemque legiones, praecipuum robur Rhenum iuxta, commune in Germanos Gallosque ſubſidium, ſub Tiberio fuiſ-

D ſe,

ſima procedentes, non ſine admiratione uidemus et calcamus; a cuiusuis gentis capite, ad quoduis aliud ſine ullo deuiandi metu ducentes. Bauaco quidem octo emanant, quarum una Coloniam Agrippinam per Tungros; altera per Moſae ſuperiora propter Dionantum et per Ardennam, Auguſtam usque Treuirorum; tertia Durocortorum Remorum; quarta Auguſtam Veromanduorum; quinta per Cameracum, laeua quidem Bapalmas et Samarobriuam Ambianorum, hodie Amiens, *dextera Nemetacum Atrebatum, Taruanam Morinorum et Bononiam ad mare; ſexta Virſouiacum, hodie Veruik ad Liſam, Caſtellum Morinorum,* Caſſel, *Marcis ad littus Saxonicum, hodie Flandricum,* Mardyck; *ſeptima Gandauum in Menapios; an et inde ad Oceanum? octaua denique per Engbien, Keiſter, Aſche in Brabantiam, Rheno Traiectum, hodie Vltraiectum, tendebat. Eae ſcilicet tunc erant illuſtriores Belgii urbes.*

16) *Annal. Lib. I. Cap. XXXVII.* Conf. *Cap. XXXI.*

ſe, quem modo adlegauimus, TACITVS 17) commemorat. Rebus igitur tunc temporis, per uniuerſam Galliam et Germaniam Cisrhenanam, pacatis, facile ut credamus, adducimur, Auguſti praecipuam curam in id incubuiſſe, ne adſuetus expeditionibus miles otio laſciuiret, ad conficiendas potius publicorum operum machinas adigendus. Patrocinantur hiſce coniecturis noſtris tumultuantium, ſub Auguſti exceſſum, legionum querelae, apud TACITVM 18), quando coram Germanico, ſedatum rebelles animos adproperante, duritiam operum exprobrant, propriisque incuſant nominibus vallum, foſſas, pabuli, materiae, lignorum adgeſtus, et ſi qua alia ex neceſſitate, aut aduerſus otium caſtrorum quaeruntur. Fuit fortaſſis Germaniae Cisrhenanae incolis eadem fortuna ſubeunda, quam uictos a Romanis populos, inter alias ſeruitiorum moleſtias, expertos eſſe, Britannis ſuis exponit GALGACVS 19), ut ipſa corpora nimirum, et manus, ſiluis ac paludibus emuniendis, uerbera inter ac contumelias adtererent. Sed his pretium eſto ſtatutum, quod coniecturis ſolet. Nec illa ego auſim ad uias, ſiue a BVCHERIO recenſitas, ſiue alias, per Galliam Belgicam, aut Cisrhenanam Germaniam, Auguſto Imperatore, fortaſſis diſpoſitas, temere tranſcribere.

§. VI.

DRVSI FOSSA. EIVSDEM PONTES RHENO IVNCTI. DOMITII PONTES LONGI.

Accedendum iam propius eſt ad Magnae Germaniae oram. Imo quid uetat, quin tranſeamus tandem, Auguſti Caeſa-

17) *Annal. Lib. IV. Cap. V.*

18) *Annal. Lib. I. Cap. XXXV.*

19) apud TACITVM *in uit. Iul. Agricol. Cap. XXXI.*

Caeſaris auſpicia ſequuturi, e Cisrhenana in Transrhenanam Germaniam, curioſius ſpectatum magnifica Romanorum opera, et praeſertim, an, quae ad uiarum munitiones pertinent, huius intra fines reperiantur. Celebrantur ab illius aeui ſcriptoribus complura monimenta, Druſi ductu per utramque Germaniam hinc inde diſpoſita. In primis huc referenda ſunt caſtella, quae per Moſam flumen, per Albim, per Viſurgim, et maxime per Rheni ripam, quinquaginta amplius, eundem direxiſſe, FLORVS 1) adnotauit, de quibus euolui merentur BVCHERII 2) coniecturae. Noſtrum eſt, miſſis aliis, quae Druſi nomini pepererunt immortalitatem, de uiarum cura, qua noua iſte decora ſibi adſeruit, ſuccinctis commentariis exponere, quamquam ita fortuna tulit, ut uiae per paludes et aquarum fluctus potius, quam per terrae iugera, et pronos agrorum campos parandae, Druſi ſtudia exercuerint. Arduum et grauiſſimum opus eſt foſſa illa, Rheni, bicornis hactenus, exitus tripartito diſſectos efficiens, quam Druſi nomine celebrem teſtatur TACITVS 3), et SVETONIVS 4), uberius, mutuis diſſenſionibus inter ſe certantes, deſcripſerunt CLVVERIVS 5), et PONTANVS 6), et, qui primo loco erat nominandus, dignus maxime, qui hac de re conſulatur, MENSO ALTINGIVS 7). Nihil nos horum obſeruationes, oculatorum ut-

 pote

1) *Lib. IIII. Cap. XII. pag. 232.*
2) *Lib. I. Cap. XVII. §. 12. pag. 43.*
3) *Annal. Lib. II. Cap. VIII.*
4) *in Tib. Claud. Caeſ. Cap. I.*
5) *German. Antiq. Lib. III. Cap. XVII. pag. 565.*
6) *Diſcept. Chorograph. Part. I. paſſim.*
7) *Notit. Germ. Infer. P. I. D. III. p. 54. F. X. p. 67. N. I. p. 100.*

pote arbitrorum, coniecturis nostris incertioribus interpungimus, nec enarrandis eorundem sententiis immoramur, quarum compendiariam notitiam suppeditat CHRISTOPHORVS CELLARIVS 8). Propius Germaniae Magnae terminos adtingunt bini pontes, Rheno fluuio a Druso impositi, quibus Bonnam et Moguntiacum iunxisse, FLORVS 9) perhibet, eo cum primis memorabiles, quod omnium, qui perpetuos in usus trans Rhenum producti sunt, pontium hi haud dubie habeantur antiquissimi, quorum mentionem ueteres scriptores iniecisse reperiuntur. Meruit sane uel hac uiarum cura Drusus triumphalem arcum, in principe Romanarum uia, Appia, honoribus eius positum 10), cuius fragmentum sistit IANVS GRVTERVS 11). Maiora fortassis curae huius daturus fuisset Drusus specimina, nisi praeceps ex equo lapsus fata fere adhuc iuueni maturasset, unde accidit, ut Tiberio fratri, quae Drusus in Germaniam tam belle conari coepit, expedienda cederent. Qui quantum effecerit, succincta narratione supra nos persequutos esse meminimus, de opere quodam expositurі hoc loco, quod uidetur susceptas sub eiusdem ductu uiarum in ipsa Germania Magna munitiones ostendere. Domitium scilicet Ahenobarbum, Neronis Caesaris auum, exercitu flumen Albim transcendisse, longius penetrata Germania, quam quisquam priorum, eamque ob rem insignia triumphi adeptum, TACITVS 12) memorat, eumque ornamentis

8) *Notit. Orb. Antiq. Lib. II. Cap. III. §. X. sq. Tom. I. pag. 210.*
9) *Lib. IV. Cap. XII. pag. 232.*
10) SVETON. *in Claud. Cap. I.*
11) *Corp. Inscript.* CCXXXVI. 5.
12) *Annal. Lib. IV. Cap. XLIIII.*

mentis e Germanico bello triumphalibus clarum vocat SVETONIVS 13). Viuendo iste adtigit extrema Augusti tempora, cuius in testamento familiae pecuniaeque emtorem fuisse, idem SVETONIVS 14) auctor est. Rite igitur excussis et temporum rationibus, et quibus ceteroquin adtendendum est, Tiberio belli comitem, quo circa A. V. C. DCCLIII Caninefates, Attuarios et Bructeros subegit, sagacissimi rerum, antiquissimo aeuo gestarum, scrutatores coniiciunt, quorum partes firmat eximiae auctoritatis adsensione, quem honoris caussa nominamus, Vir Illustris, IOANNES IACOBVS MASCOVIVS 15). Expeditionis eius, in Magnam Germaniam a Domitio confectae, monimentis annon adnumerandum sit celebre oppidum, in ditione Daneburgica superstes, *Doemitz* adpellatum, modestam, uti par est in rebus incertioribus, coniecturam proponit BVCHERIVS 16), dubio arbitrio relictam, quam definiant sagaciores. Definiat nostra pace, cuicunque uacauerit: nostrum est redire, tamquam ex diuerticulo, in regiam uiam. Aggeratus est ab illo Domitio uastas inter paludes trames, qui pontes longi dici consueuerunt; quos ut post ea, uetustate ruptos, reponeret, et una cum inferioris Germaniae legionibus superaret, quum A. Caecina, Germanici Legatus, daret operam, Arminio duce, a Germanis uehementer infestatum, et nocte demum aduersae pugnae inclinantes iam legiones exemtas esse, TACITO 17) auctore, nouimus.

D 3 Quos

13) *in Ner. Claud. Caes. Cap. IIII.*
14) *cit. loc.* Conf. IDEM *in Octau. Aug. Cap. CI.*
15) *in den Geschichten der Teutschen, Lib. III. §. XXI. Tom. I. p. 72.*
16) *Lib. I. Cap. XXIV. §. 6. p. 57.*
17) *Lib. I. Cap. LXIII. LXIIII.*

Quos per agros trames iste aggeratus fuerit, uarie solet disceptari. Patuisse a Veteribus inde Castris ad Alisonem, eodemque fuisse situ, quo nunc etiam uasta satis palus in medio oppidorum *Ham*, *Alem* et *Lurighusen* sternitur, longitudine decem circiter millium, coniectura est CLVVERII 18). At eum potius esse, qui suo adhuc aeuo exstabat et usui erat, per paludes ac uligines, haud procul Amisia, inter Lingam, Weddam et Coeuordam, arbitratur LIPSIVS 19), cui adsensum praebet ALTINGIVS 20). Fuerunt sane pontes isti longi, quantum ego suspicor, perducendarum saltem per paludes legionum caussa, ita dispositi, ut necessitati potius inseruiret, quam ornamentorum aut commoditatis, aliis procurandae, rationem haberet conditor illorum, Domitius. Neque isti, si recte aduertas animum ad TACITI descriptionem, qui *angustum tramitem* uocat, ex Romanorum instituto, elogium publicae uel militaris uiae tueri, neque adsertionem nostram, superiori loco positam, nullas Romanorum uias militares patuisse per Germaniam Transrhenanam, si quis uel maxime pontes hos longos Domitianos eo usque productos esse, cum CLVVERIO statuat, imo plane aliquando euicturus sit, poterunt quidquam euertere.

§. VII.

18) *Lib. III. Cap. IX. pag. 541.*

19) *Part. I. D. I. pag. 53.*

20) *in not. ad* TACIT. *Annal. Lib. I. Cap. LXIII. ad verb.* angustus is trames.

§. VII.
LIMITES AGGERESQVE, INTER ALISONEM AC RHENVM A GERMANICO EDITI.

Tiberio Imperatore, post Augusti obitum, rerum potito, Germanicus, Drusi filius, ultioni Varianae cladis, a Germanis exigendae, nuper iam ab Augusto destinatus, cum Arminio in primis, Cheruscorum principe, quam acerrime bello decertauit, ipso patre longius per Germaniae fines grassatus. Quantacunque tamen edita his in bellis ab ipso fuerint facinora, nihil prorsus deprehenditur, ex quo coniici possit, uias ab eo in Germania, siue Cisrhenana, siue Transrhenana, fuisse munitas. Nec enim ego huc trahendos esse crediderim nouos limites aggeresque, quibus cuncta inter castellum Alisonem ac Rhenum permuniuisse Germanicum, TACITI 1) fide compertum habemus. Exstant hodienum limitum aggerumque huius modi reliquiae, et late per inferioris comitatus Cattimelibocensis tractum, et Wetterauiae, Hassiaeque superioris agros patent, diligentius a IOANNE IVSTO WINKELMANNO 2) descriptae, quae tamen utrum aggeris eius, a Germanico editi, an aliorum limitum, quales post eam aetatem Romani saepius praesidii caussa istis in terris dispofuisse perhibentur, portio sit habenda, definitu mihi paullo uidetur difficilius. Id sane ut constet, futurum puto, aggeres istos limitesque ualli loco

1) *Annal. Lib. I. Cap. VII.*
2) *in der Beschreibung der Fürstenthümer Hessen und Hersfeld, Part. I. Cap. IV. pag. 229.* ubi adnotat, aggeres istos uernaculo nomine plerumque *die Pohlgraben*, perperam ab aliis *Pfahlgraben* dici.

loco et praesidii fuisse conterminis Romanorum siue castris, siue prouinciis, nec potiori iure ad uiarum munitiones referri, quam istud P. Aelii Adriani, et M. Aurelii Probi uallum et murum, nostro adhuc saeculo per agri Nordgauiensis, uicinarumque ditionum tractus, ruderibus suis hinc inde satis conspicuum, de quo peculiaribus libellis commentatus est Vir Clarissimus, IOANNES ALEXANDER DOERDERLINVS 3).

§. VIII.
CORBVLONIS FOSSA.

Quae iam sub reliquis Imperatoribus, per quorum aetatem persequi commentationem nostram instituimus, uiarum militarium in Germania explorentur uestigia, nulla sunt, aut sane perquam tenuia. Ne tamen praecipiti nimis discessu institutum deseruisse arguamur, breuiter ea exponere animus est, quae ad Romanorum curam, uias in Germania ordinandi, generaliori aliquantum ratione sunt referenda. Probato hoc consilio, indicanda est fossa, quam inter Mosam Rhenumque, ut miles otium exueret, trium et uiginti millium spatio praeduxisse Corbulonem, exercitus, per inferiorem Germaniam dispositi, sub Claudio Imperatore Legatum, qua

3) Prodiit primum laudati auctoris *Schediasma Historicum, de Impp. P. Ael. Adriani, et M. Aurelii Probi Vallo et Muro*, latino stilo exaratum, *Norimb.* CIↃ IↃCC XXIII. Vernaculo deinceps sermone donata eodem de uallo commentatio, priore auctior, praefixa inscriptione: *Antiquitates in Nordgauia Romanae, oder gegauere Vorstellung des alten Römischen Valli und Land-Webre etc. Weissenb.* CIↃ IↃCC XXXI, publici iuris facta est.

qua incerta Oceani uetarentur, TACITVS 1) refert, cui omnino consentit DIONIS 2) testimonium, nisi quod duobus passuum millibus, ex mente interpretis, GVILIELMI XYLANDRI 3), fossam illam breuiorem perhibeat, cui tamen expositioni aduersatur IVSTVS LIPSIVS 4), mensuram DIONIS et TACITI proxime conuenire arbitratus. Hanc esse Corbulonis fossam, traxit enim a conditore nomen, quae ab urbe *Leida Delftum* defertur, atque inde ad uicum, *Maeseland* deducta, tandem ad propinquum uicum, *Sluys*, Mosae iungitur, adlegatis quatuor potissimum rationibus, arguit CLVVERIVS 5). Ad Rhenum quidem coepisse a capite riui Lugdunensis, delineatione ualde probabili ob oculos ponit; at confutat, per Delfensem Vrbem

1) *Annal. Lib. XI. Cap. XX.*

2) *Lib. LX. pag. 685. E.* Διετάφρευσε (Γναῖος Δομίτιος Κορβούλων) πᾶν τὸ μεταξὺ τοῦ τε Ῥήνου καὶ τοῦ Μόσου, σταδίους ἑβδομήκοντα καὶ ἑκατὸν μάλιστα.

3) Vertit XYLANDER τοὺς σταδίους ἑβδομήκοντα καὶ ἑκατὸν, a DIONE proditos, *unum et uiginti passuum millia*, et *in adnot. in* DION. *cit. loc. pag. 969.* obseruat, TACITVM uiginti et tria passuum millia fossae illius longitudini adsignare, at stadia centum et septuaginta, quae DIO memorat, millia saltem uiginti et unum, cum quadrante uno conficere.

4) *in not. ad* TACIT. *Annal. Lib. XI. Cap. XX.* ad uerb. *inter Mosam Rhenumque.* Tribuit enim XYLANDER singulis passuum millibus octo stadia, contra LIPSIVS, PLVTARCHO, SVIDA, aliisque auctoribus, septem stadia cum dimidio pro milliari capit, ex qua computandi ratione, apud ueteres potissimum recepta, eoque nomine nobis quoque apprime probanda, ut stadia centum et septuaginta conficiant milliaria tria et uiginti, duobus stadiis et semi minus, ultro consequitur.

5) *in not. ad* TACIT. *cit. loc.*

ad Mosaelandiae cataractas ductam esse istam fossam, ALTINGIVS 6), cuius in sententiae fossaeque ductu, una cum CELLARIO 7), perstamus et adquiescimus.

§. VIIII.

AGGER DRVSIANVS, A POMPEIO PAVLLINO ABSOLVTVS. L. VETERIS DE IVNGENDA MOSELLA ET ARARI CONSILIVM.

Quietae pacataeque res per omnem Germaniam, ad Neronis Imperatoris tempus, utrique legionum istic dispositarum Legato suppeditauere occasionem, de publicis operibus cogitandi, quorum structuris otiosos milites exercerent. Dignos existimauit utriusque ducis conatus, successu quidem uarios, quos posteritati commendaret TACITVS 1), quo auctore strictim eosdem persequemur. Pompeius enim Paullinus, qui legionibus inferioris Germaniae praeerat, inchoatum ante tres et sexaginta annos a Druso aggerem, coërcendo Rheno, absoluit. Clariora de aggeris huius ductu indicia ueteres scriptores non dederunt, suoque silentio descriptu istum omnibus, qui sequiori aeuo eum sibi sumsere inuestigandum, reliquerunt difficillimum. Consentiunt omnium fere coniecturae, ultimam eidem Drusi moli perficiendae manum admouisse Pompeium Paullinum, quam aliquot lustris post ea dirutam fuisse a Claudio Ciuili, Batauiae liberatore, idem TACITVS 2) adnotauit. Qua senten-

6) *loc. cit. P. I. C. X. pag. 48.* Conf. *Tab. IV.*
7) *Lib. II. Cap. III. §. XVI. pag. 212.*
1) *Annal. Lib. XIII. Cap. LIII.*
2) *Hist. Lib. V. Cap. XIX.*

sententia stabilita, confutauit istos, qui Drusoburgum ad Isalam situm, eandem Drusi molem esse contenderunt; at refellere quidem aliena, firmare ipse nihil potuit LIPSIVS 3). Certiora nonnihil hac de re, Rheno scilicet in illum alueum, cui hodie *Lecca* nomen, per aggerem Drusi et Pompeii abacto, debentur ALTINGIO 4), cui fides est habenda maxima, quanta quippe illis esse debet omnino, qui antiquarum rerum eleganter intelligentes, ad praesentem situm, propriis oculis usurpatum, diligentiori cum cura et iudicio easdem conferunt. Maius hoc aggere opus molitus est L. Vetus, exercitus Romani per superiorem Germaniam Legatus, quando Mosellam atque Ararim, facta inter utrumque fluuium fossa, connectere parauit, ut copiae per mare, dein Rhodano et Arari subuectae, per eam fossam, mox fluuio Mosellae in Rhenum, exinde Oceanum decurrerent: sublatisque itinerum difficultatibus, nauigabilia inter se occidentis septentrionisque littora fierent. At factum est inuidia Aelii Gracilis, Galliae Belgicae Legati, ut tanti operis consilium effectui dari non potuerit. Deterruit enim iste Veterem, ne legiones alienae prouinciae inferret, studiaque Galliarum adfectaret, et quo plerumque conatus honesti prohibentur, formidolosum id Imperatori dictitauit. Fuit quidem ea huius operis conditio, ut nemo sit, qui non perspiciat, impeditiores longe, quam Aelii Gracilis inuidiam, L. Veteri futuras fuisse difficultates, quas superaret, imo tantas, quibus tollendis non suffecisset magis, quam alii maximorum Principum, qui post

 illam

3) *in not. ad* TACIT. *Annal. Lib. XIII. Cap. LIII. ad uerb.* inchoatum a Druso aggerem.

4) *Part. I. D. III. pag. 55.* Conf. *Tab. IV.*

illam aetatem saepe numero de iisdem, aliisue fluuiis coniungendis, irrito successu cogitauerunt. Tanta scilicet est naturae peruicacia, ut fines, suopte arbitrio statutos, arte humana mutari aegre nimis patiatur. Quoscunque ceteroquin successus experturum fuisset istud Veteris consilium, digna sane illius est magnitudo, cui magnificos LIPSII 5) adplausus, ex singulari admiratione natos, unusquisque occinat: *utile, magnum, regium, uel Romanum plane opus.*

§. X.

DISQVIRITVR, AN SVB RELIQVIS PRIMI SAECVLI IMPERATORIBVS VIAS ROMANI IN GERMANIA CONDIDERINT.

Breue nimis, quod post Neronis interitum, eodem paene tempore, adfectauit Ser. Sulpicius Galba, M. Saluius Otho, et A. Vitellius, et multo turbulentius fuit imperium, quam unde tantorum operum alicubi, praesertim in Germania, condendorum auspicia exspectari potuissent. Neque habet utriusque Vespasiani principatus, quantumuis bene stabilitus, et rebus domi et foris ordinatis, ualde conspicuus, quae sibi ex uiis per Germaniam dispositis, uindicet ornamenta. Nulla tamen inde in hos Imperatores deriuanda est suspicio, fuisse illos uiarum in prouinciis muniendarum incuriosos, cum habeat hodienum, quibus hanc inuidiam ab utroque amoueat, monimentorum reliquias Hispania; columnam scilicet uialem, uiae a Cappara Vrbe ad Emeritam usque, impensa Vespasiani patris restitutae, praeconem, quam

5) *in not. ad* TACIT. *cit. loc. ad uerb.* Mosellam atque Ararim.

quam FLORIANI OCAMPII fide descripsit HIERONYMVS SVRITA 1), exhibuit etiam GRVTERVS 2); et alius lapidis inscriptionem, ab eodem GRVTERO 3) relatam, ex qua Titi filii cura colligitur, qua uias in ista prouincia fecit instaurari. Tacemus alia monimenta, unde plures in rei huius argumentum coniecturae, at paullo incertiores, possint euolui, quarum si qui cognoscendarum cupidi fuerint lectores, ad BERGIERIVM 4) ablegamus. Quo autem minus uiarum per Germaniam instauratoribus accensendi essent, intercepere filium praematura fata, patrem impediuit acerrimum cum Claudio Ciuili bellum, in terris Germaniae Cisrhenanae et Galliae Belgicae dubio marte diu satis exercitum. Hoc enim desaeuiente, tantum absfuit, ut nouas in Germania publicorum operum machinas construere Romanis licuerit, ut ne a uariis quidem, arte sua et labore pridem in tutelam suam effectis, excidium, hostili manu intentatum, potuerint prohibere. Dirutam esse a Claudio Ciuili aliquam Drusi molem, paullo ante, praeeunte TACITO 5), memoratum est, et eodem auctore 6), cohortium, alarum, legionum hiberna, per uniuersam cis Rhenum Germaniam, Ciuilis itidem ductu, subuersa et cremata esse nouimus, iis tantum relictis, quae Mogontiaci ac Vindonissae sita fuerant. Alterum Vespasiani filium, Domitianum Imperatorem, habuisse aliquoties, quae

 suis

1) *in Comment. emendat. in Antonin. August. itinerar. pag. 584.*
2) *Corp. Inscript. CCLIV. 3.*
3) *ibid. CCLV. 3.*
4) *Lib. I. Cap. XVII. §. 4. seqq. pag. 53. 54.*
5) *Hist. Lib. V. Cap. XIX.*
6) *ibid. Lib. IV. Cap. LXI.*

ſuis auſpiciis in Germania gererentur, occurrunt apud illius aeui ſcriptores paſſim argumenta, quae quanto ſunt obſcuriora, tanto dexteriori cura et iudicio conquiſiuit Illuſtris MASCOVIVS 7), Praeceptor et Patronus diligenti ſtudio ſuſpiciendus. At quod ex monimentis reportauit, ſi qua forte in Germania condi fecerit, exile ſane decus fuerit, oportet, niſi praeſtantius illis pretium conſtiterit, quam ſalſo ipſius e Germania triumpho obtigit, quem deriſui fuiſſe, TACITO 8) teſte, ipſi Domitiano inerat conſcientia, quantiscunque uerborum phaleris Arctoos triumphos,

Bisque iugo Rhenum, bis adactum legibus Iſtrum,

PAPINIVS STATIVS 9), cothurnatus Domitiani adſentator, iactitet. Quanto tamen opere Imperator iſte, parum ceteroquin laudabilis, uias muniendas curauerit, teſtatur Domitiana uia, quam Sinueſſa Puteolos productam, DIONIS auctoritate XIPHILINVS 10) commemorat, et altiſono hendecaſyllaborum adparatu decantat STATIVS 11). Neque Domitianum uiarum in prouinciis curam omnino abieciſſe, intelligimus ex quapiam columnae milliaris, haud procul a Medina in Hiſpania poſitae, inſcriptio-

7) *in den Geſchichten der Teutſchen, Lib. V. §. 1. ſeqq. pag. 136. ſeqq. Tom. I.*

8) *in Vit. Iul. Agric. Cap. XXXIX.*

9) *Thebaid. Lib. I. u. 19.* Conf. CASPARIS BARTHII *Animaduerſ. ad* PAPIN. STAT. *dict. loc. Tom. II. pag. 13.*

10) *Excerpt. e* DIONIS CASSII *Hiſt. Rom. Lib. LXVII. p. 766. A.*

11) *Silu. Lib. II. Carm. III.* cui additus eſt titulus, *Via Domitiana.* Conf. EIVSDEM Epiſtola, inſcripta Statio Marcello, et *Libro IV. Siluarum* praefixa.

ptione, quam descriptam stitit BERGIERIVS 12). At enim uero militares in Germania uias, quae ad eundem Imperatorem referendae uideantur, explorare omnino nullas licuit.

§. XI.

PRAECIPVA INSTITVTI ARGVMENTA, IN ALTERAM COMMENTATIONEM TRANSMISSA, STRICTIM EXPONVNTVR.

Ita quidem nos uias Romanorum in ueteri Germania militares, quas prima hac circumissione peragrandas nobis sumsimus, esse iam emensos, et tuto posse aliquantisper subsistere, confidimus. Neque tamen, quod enixe nolim, suspicetur quispiam, eam nobis esse huius excursionis fiduciam, ut nihil plane praeteriisse iactitemus, quidquid uiarum eius modi habeatur in Germania. Fuerunt probabili sane consilio quaedam Romanorum opera omissa, quae huc pertinuisse, curatius omnino memoranda, nonnulli fortassis opinabuntur. Peccatum forte incuria fuit in aliis praetermissis, quae iure merito fuissent perlustranda. Quem enim ita semper progredi posse arbitreris, ut nihil oculos, nihil animum effugiat in spinosis hisce salebris? Nihil hoc nomine delinqui crediderim in magnificas Romanorum uias, cuius inuidia in posteritatis neglectum et temporis iniuriam est reiicienda. Verum si quas earum uiarum praeteritas esse animaduerterimus, aliquando reduces prius istas lustrabimus, quam in alias descendemus. Nam collectis quasi uiribus, euagan-

12) *cit. loc. §. 5. pag. 55.*

gandum nouo conatu erit in uias late patentes, quibus non per Galliam Belgicam, et Cisrhenanam Germaniam solum, sed et Rhaetiae, Vindeliciae atque Norici agros deducit ANTONINI ITINERARIVM. Iuuabit ista itinera, quantum quidem ad Germaniam pertinent, ad designatas in TABVLA PEVTINGERIANA stationes conferre, et inde quidquam ad oppida ueteris Germaniae illustranda colligere. Haerendum aliquantisper erit, in uia ista per Rhaetiam et Vindeliciam, in contemplandis columnis uialibus, L. Septimio Seuero Caesari, uiarum instauratori, sacris, quarum unam superius iam alieno loco exhibuimus. Neque deficient omnino argumenta, quibus ostendi possit, alios quoque Imperatores de uiis in Germania instauratis bene meruisse. At haec omnia, uberrimam dicendi materiam, alteri commentationi reseruamus, qua uias Romanorum in Germania ueteri militares persequi animus est. Inquirendum simul erit aliquanto curatius in obseruationem, nobis forte subnatam, an non uiae, Romanorum instituto in uicinis Germaniae regionibus munitae, ipsa Germanorum et Gallorum sacra, Deorumque cultum locupletauerint: cum aliquot utrique genti Deos fuisse obseruemus, quos Deorum uialium numero Roma habuit, statuisque per uias dispositis celebrauit. Mercurium et Dianam huc retulerunt Romani: eosdem Deos, alio licet nomine, Germani et Galli coluere. Imo principem Deorum apud Romanos uialium, Apollinem, Germani cum primis, Beleni nomine insignitum, uenerati sunt, nec apud istos illius cultu quidquam fuit frequentius. Sed extremo digito haec tetigisse iam sufficiat, in alteram commentationem transmittenda, quae pleniori manu excutiantur.



❧ (o) ❧